



**H**Arimarus apud Saxones illustri familia natus fuit. Itaque cum Carolus Francorum rex Saxones praelio uicisset, atque illi subinde bellum renouarent, duodecim obsides ex nobilissimis familijs sibi dari petijt, ut hoc modo rebellis illa natio in officio contineretur. Inter eos quoque Harimarus fuit. Cum autem is optima indole esset praeditus, Carolus eum S. Burckardo Herbipolensi Episcopo educandum tradidit. ubi adeo in pietate & literis profecit, ut breui eius Ecclesiae Canonicus factus fuerit. Postea autem cum Saxones essent post duodecim praelia domiti, atque Vitekindus eorum dux Christianam religionem professus

esset, Carolus eam Germaniae partem decem Episcopatibus exornauit, atque eosdem multis diuitijs & priuilegijs dotauit, ut hoc modo repugnantes poenis coercere possent. Tales erant Osnaburga, Halberstatt, Premen, Minden, Ver-